



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1719**

Titulus XXIX. De parochiis & alienis parochianis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

Quæst. 804. Ad quid datur hæc actio funeraria?

1. Resp. Primò in genere: datur hæc actio ad recuperandos sumptus factos in funus, sine quibus illud honestè curari & deduci nequivit, observatio in iis modo legitimo, ita ut spectatâ dignitate & facultatibus defuncti, locique consuetudine, (de quo iudex arbitrabitur) neque in excessu neque in defectu peccatum fuerit. *L. 12. §. 5. L. 14. §. 4. §. 5. §. 6. ff. de relig. & sumpti. fun.* Struv. *ibid. th. 88.* Lauterb. §. 32. Garc. *l. c. c. 8. num. 2.* unde si supervacuos & immoderatos sumptus impenderit, v.g. cada-ver involutum veste holoserica unâ cum annulis aureis, aliisque pretiosis ornamentis sepeliendo (in quo tamen illustribus personis indulgendum quid) nulla eorum habetur ratio, eosque solum, quos impendere debuit, repetendi habebit actionem, ita ut talis excessus poena sit iactura cæterorum *L. 14. §. 9. h. t.* Brunem. *ibid. num. 9.* & asinius *vers. quid ergo.* Lauterb. *l. c.* Kurrer. *l. c. th. 44.* & alii, quos citat & cum communi sequitur Muller. *l. c. th. 88. lit. β.* Et hæc etiam si testator istiusmodi luxum adhiberi iusserit; ejus enim voluntas (etsi aliâs religiose servanda) in hoc inepta, utpote quæ vivis nocet, & mortuis non prodest, justè & impunè contemnitur ab hærede. Arg. *L. 113. §. fin. ff. de legat. 1. L. 40. §. fin. aur. & arg. Legat. Rebuff. de sent. provision. in præfat. n. 50. in fin.* Asin. Lauterb. Mull. *LL. cit.* quin & creditorem audiendum esse; qui non tam sepulturam quàm luxum & pompam impedire cupit; dum nimirum hæres ultra facultates in funus impenderet ait, apud Lauterb. Frider. *de interdito l. 2. n. 31. & seq.* Econtra quoq; sumptus nimis modici, qui potius in contumeliam, quàm honorem mortui cedunt repeti nequeunt. *cit. l. 14. §. 6. & 10.* Asin. *ibid. l. c.* Rebuff. *l. c. n. 52.* Lauterb. Muller. *LL. cit.*

2. Resp. Secundo circa quædam in specie: his sumptibus, ad quos datur hæc actio, accensetur primò pretium loci, in quo sepelitur defunctus, dum nimirum is forte locum non habet sepulturæ, & curam funeris suscipiens locum purum, hoc est, in quo necdum quisquam sepultus est, aut jus inferendi defunctum in sepulchrum alterius pretio comparasset, *L. 7. cit. 1. & Brunem. ibid. Kurrer. l. c. th. 34.* Muller. *cit. th. 88. lit. a.* Secus est de expensis, quas funerans, dum defunctus jam habebat sepulchrum majorum, & aliud à se constitutum, eo præterito, locum alium coëmat. Arg. *L. 1. ff. ad leg. aquil. & cit. L. 14. §. 3. h. t.* ubi ad reposcendas expensas in comparationem sepulchri requiritur necessitas ejusdem acquirendi. Unde idem est, si præterito camiterio, ubi hodie dum gratis conceditur sepultura, funerans alibi titulo oneroso compararet sepulchrum; nisi forte dignitas defuncti exigeret sepulturam extra talem locum communem Carpz. *Jurispr. confistor. def. 391. n. 11.* Muller. *l. c.* Secundo expensæ ex more recepto factæ cum moderamine in positionem lapidis sepulchralis, exstructione monumenti epitaphiorum

& similibus pro honore defuncti; quod tamen inspecta stricta ratione pluribus adductis rationibus pro diveritate inter sumptus factos in hujusmodi monumenta & Epitaphia & factos in ipsum sepulchrum & funus. negat Finckelth. apud Mullerum *l. c.* quem desuper vide. Tertio pretium sacrophagi & panni nigri, quo is infernitur, parietesque templi vestiuntur. Si coëmendus, vel aliâs pro accommodatione illius datum. Muller. *l. c.* idem est de coronis & floribus sericis feretro exornando concessis. Quarto vestes, linteamina, quibus corpora involvuntur aliaque ornamenta, quibuscum ea juxta morem regionum sepeliuntur, uti Archiepiscopi cum pallio juxta *c. 2. de auctor. & usupall.* Aliique prælati in habitu Ecclesiastico sepeliri debent. Vestes item lugubres quæ famulis defuncti & in specie fascia pepla cognatis proximis ex more aliquorum locorum & portitoribus funeris dari solent. Lauterb. §. 31. quamvis ea, quæ in hac parte solum ad honorem fieri solent nomine sumptuum funeraliû de jure communi venite negent Carpz. *p. 1. c. 28. d. 41. num. 3.* Garc. *l. c. c. 8. n. 8. & 12.* Quinto quæ dantur Clericis, aliisque ministris Ecclesiæ, magistris, scholaribus funus comitantibus, aditio, portitoribus compulsores campanarum, vespillionibus. Mull. *l. c.* Arg. *cit. c. 14. §. 3. & 6.* Sexto quod impeditur pro vectura cadaveris ad sepulturam, qualiter ad eam corpora personarum illustrium stanneis inclusa capulis devehit solent. quò etiam spectat vectura, quæ corpus peregrè defuncti in patriam tumulandum deferretur. *cit. l. 14. §. 4.* Kurrer. *th. 39.* Surd. *decis. 255. num. 27.* Muller. *l. c.* Septimo quod datur habenti concionem seu orationem pro cuiusque loci consuetudine. *cit. l. 14. §. 3. 4. 6.* Asin. *ibid. n. 3.* Carpz. *J. F. p. 1. c. 28. d. 41.* Berlich. *p. 1. concl. 64. num. 6.* Lauterb. §. 31. Mull. *l. c.* His denique, non quidem stricto jure hodie dum annumerantur salaria medicorum, chirurgorum, aliorum sumptus in morbum ultimum, quo decessit defunctus, de quibus supra Berlich. Carpz. *LL. cit.* Lauterb. §. 33. Porro ad hanc actionem intentandam potissimum probari debet realis sumptuum funebrium erogatio, quò fieri potest per instrumenta & testes, & his deficientibus, per privatam specificationem, ad quod unumquodque sit impensum, editam per funerantem, etsi exigui & probabiles, conjecturam verisimilem arbitrio boni viri committendam, adhibito etiam juramento suppletorio, oblato à iudice vel ex officio ad instantiam partis Arg. *l. 3. c. de rebus dubiis & c. fin. de jure jurand.* idque propter religionem funeris, in qua fides exsuperat *juxta cit. l. 14. §. 6.* ita Muller. *th. 88. lit. y. in fine* cit. aliis Berlich. *ubi ante n. 92. & 102.* Carpz. *l. c. n. 46.* Eam etiam actionem; cum sumptus illi religiosi non sint, neque ex re Ecclesiastica, sed ex quodam quasi contractu, instituendam coram iudice seculari, etsi de ipso jure sepeliendi, juxta *c. non estimamus. caus. 13. q. 2.* agendum coram iudice Ecclesiastico, astruunt Carpz. *Jur. confistor. l. 2. d. 390. num. 1.* Lauterb. §. 34. Muller. *l. c.*

## TITULUS XXIX.

### De Parochiis & alienis Parochianis.

Quæ ad hunc titulum ab AA. quæri & tractari solent, vide tractata fusè & accuratè à me in foro benesic. *p. 1. à quæst. 144.* vide quoque ejusdem par-

tis indicem, *V. parochia & parochialis Ecclesia & v. parochus.*

TITU-